



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Historiae scopus. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

THEODORITI  
EPISCOPI CYRI ECCLE-  
SIASTICAE HISTORIAE,  
LIBRI QVINQVE.  
Liber primus.

*Historiae scopus.*

CAP I.



Vanquam pictores, qui veteres histo-  
rias in tabulis & parietibus describunt,  
cum intuentium magnopere oble-  
ctant oculos, tum rerum praeteritarum  
recognitionem ad prolixum temporis  
spatium florentem seruant: tamen  
scriptores, qui pro tabulis, monimen-  
tis librorum, & pro colorum varietate,  
orationis flosculis vtuntur, memoriam rerum gestarum  
(Siquidem res pictorum artificio descriptas temporis con-  
sumit conficitque longinquitas) multo diuturniorem sta-  
bilioremque efficiunt. Qua ratione ipse equidem adductus  
sum, vt ea quae in ecclesiastica historia desunt, scriptis man-  
dare aggrediar. Nam vt gloria rerum praclarissime gesta-  
rum, quarum commemoratio multum sit hominibus adiu-  
menti alatura, obliuione coteretur, haud sine scelere fieri  
posse existimaui. Qua de causa nonnulli, quibus cum mihi  
magnus vsus & familiaritas intercedit, saepenumero me ve-  
hementer cohortati sunt, vt hunc historiae ecclesiasticae scri-  
bendae laborem in manus sumerem. Verum cum difficul-  
tatem operis mearum virium imbecillitate metiri incipio,  
eius susceptionem non mediocriter equidem pertimesco:  
attamen fretus benignitate Dei boni cuiusque largitoris  
munifici, rem magis arduam, quam quae mea doctrinae tenui-  
tate perfici possit, suscipio. Atque vt Eusebius genere Pa-  
laestinus, a sanctorum apostolorum temporibus exorsus, res  
in ecclesia inde vsque ad tempora Constantini Imperato-  
ris sanctissimi gestas conscripsit: sic ego ex illo ipso tempore,  
quo

quo ab eo desitum est scribere, initium historię ducere statuo.

*Vnde cœperit Arianorum hæresis. CAP. II.*

CVM nefarij illi & impij tyrāni extincti essent, Maxē-  
tius videlicet, Maximinus & Licinius, grauis persecu-  
tionis procella, quam furie illæ, non aliter atque tur-  
bines quidam in ecclesia Dei cōcitauerant, sedatur, & sæua  
ventorum violentia cōpressa, stabilis & diuturna Christi  
gregi tranquillitas affertur. Nam Constantinus omni ge-  
nere laudis florentissimus, qui non ab hominibus, neq; per  
hominem, sed cœlitus à Deo more sancti apostoli ad illius  
muneris administrationem vocatus erat, huius pacis eccle-  
siis author fuit. Siquidem leges conscripsit, quibus & ho-  
stias simulachris vetuit immolari, & ædes sacras extruendas  
fanciuit. Quinetiam præsides, quorum mentes fides Chri-  
stiana imbuerat, gentibus ac prouinciis præfecit, deditque  
illis mandatum, vt sacerdotes honore afficerent: illis autē,  
qui eosdem contumeliose insectari aggredierentur, exitium  
minatus est. Quo quidem tempore, alij ecclesias dirutas de  
integro erexere: alij alias ampliores splendidioresque ex-  
dificauēre. His rebus hoc loco cōstitutis, nostri animi gau-  
dio perfusi & voluptate, aduersariorum autem tristitia &  
mœrore confecti fuerunt: quandoquidem simulachrorum  
delubra occlusa: in ecclesiis Christianorum dies festi, &  
crebri conuentus celebrati. Verū nequam & inuidus dæ-  
mon, generis humani pernicies, cum statum ecclesiæ Dei  
tam secundo ac prospero flatu ferri cerneret, nullo modo  
pati potuit, sed subdola ac pestifera consilia excogitare cœ-  
pit, omnesque sedulo peruestigauit modos, quibus eam  
tam præclare ab vniuersitatis opifice & moderatore guber-  
natam penitus euerteret. Nam cum animaduerneret genti-  
lium errorem suis integumentis euolutum, & varias ac mul-  
tiplices Dæmonum fraudes perspicuè deprehensas, & crea-  
turā à quā plurimis nulla amplius dignatam veneratione,  
sed pro illa creatorem laude & præconiis celebratum, id-  
circo deinceps non apertè contra Deum ac seruatorem no-  
strum bellum ciere, sed cum homines quosdā nomine qui-  
dem Christianos, re tamen ipsa ambitionis & inanis gloriæ  
seruos

*Gal. 1.*